

U.M.  
RUM  
E  
ÉINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM  
*Disquisitio XXXIX.*

**PRÆS IDE**  
**CHRISTIANO GUEINZIO**

# Gymnafii Hallensis

## Rectore

## Respondente,

# JOHANNE ANDREA UNZERO

# Hall. Saxone

*Dominica VIII. post Trinitatis.*

*A.O.R. ch. Ic. III.*

# HALLIS SAXONUM

# PreloHæredum Melchioris Oel- schlegelij

GGGGGGGGGG GGGGG GGGGG GGGGG

*Viris admodum Reverendis, Clarissimis,  
Excellentissimis, Dactissimis*

*Dn. GOTTFRIDO OLEARIO,  
S. S. Theologiæ Doctori celeberrimo  
Superintendenti Halensium vigilantissi-  
mo, dignissimo, Primario ibidem Pastori  
ad B. Virginem fidelissimo, Scholar-  
chæ itidem Gravissimo.*

*UT ET*

*Dn. M. TILEMANNO OLEARIO,  
Archidiacono Ecclesiæ ad D. Ulri-  
cum præstantissimo, Confessionario  
suo plurimum Reve-  
rendo.*

*Dominis Affinibus, Mecenatibus,  
Patronis, Evergetis, ac Promotoribus  
suis, summo ac perpetuo reverentia ac  
observantia studio nunquam non proje-  
quendis, hac primordia debite gratiu-  
dinis monumentum, & continuandi fa-  
voris incitamentum esse*

*nimum quantum optat*

*RESPONDENS.*

三

ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి ప్రాణి

ANALYSIS  
EVANGELII  
DOMINICA VIII. POST TRI-  
NITATIS.

Math. 7. vers. 15. ad 24.

# Περιήλιον.

**A**betur Deuter. 22, 11. non indueris vestimento, quod ex lana  
linog, contextum est : Qua ver-  
ba non tam de externo corporis  
vestitu, quam de interno cordis habitu sunc  
intelligenda. Vult enim Deus cor nostrum  
simplex, ab omni hypocrisi liberum, ne simus  
sicut Baalite, i. Reg. 18, 22. Sed ut profimus  
nobis & cuncto gregi Act. 20, 28. Quomodo  
autem fieri queat, inter cetera monstrat nobis  
Euangelium.

# R THE-

## THESES.

1. In quo Evangelio partim exhortatio de falsis doctoribus cave dis; ubi corrum pentium est denotatio. vers. 15. In quo generalis est præceptio : cavete. Ubi verbum τοῦ οὐρανοῦ emphaticum requirit, quò diligenter aduertamus; Et acutius attendamus, cùm τοῦ οὐρανοῦ Aristoteli idem sit quod attente. Denotatur igitur ut cavetes attendamus. Et attendentes caueamus. Facilioris enim attentionis cautio, ubi manifesta formido est, Et ad certamen animus anteprestituitur, ait Cyprian. tract. 3. de simpl. Præl. quando se adversarius confitetur. Cavendum itaq; in clamandum est uti Christus hic fecit, tanquam vigili Ezech. 3. 27 tanquam nutritrix I. Thess. 2, 7. Una siquidem via est ac veritas Joh 14, 6. Neq; enim in confusione paganorum, neq; in purgamentis hereticorum, neq; in languore schisma icorum, neq; in cæcitate fideorum, quarenda est religio, sed apud eos solos, qui Christiani orthodoxi vel catholici nominantur, i.e. integratis custodes, Et recta sectantes, habet August. de verit. relig. c. 5. Jam si caveri, non erunt è medio tollendi, ne qui malos cenatur interficere, bonos interficiat, Augt lib.

lib. quæst. Evang. s. Matth. c. 12. Non quidem prohibetur conciliabula hereticorum dissipare, ora obstruere, libertatem dicendi concidere: Verum interficere & trucidare Chrys. Hom. 47. in Matth. 13. c. tom. 3. non conceditur.

2. Et specialis, ratione subjecti; vobis. Per quod non solum Apostoli intelliguntur, sed populus, qui una cum discipulis attente auscultabat à c. Matth. 5. usque ad c. 7. v. 28. Et quia non tam pastores, quam oviculas alloquitur. Tunc locum illud Christi habet Matth. 10, 23. quod vobis dico, omnibus dico. Discamus & Christum unam innuere, 1. Magistratum Politicum, qui custos utriusque tabula decalogi, & regni Dei minister, Sap. 6, 15. Qui jubetur portas accollere regi gloria, Psal. 24, 7. 2. Et ministerium, ut arguant contradicentes, eiusque os obdurent Tim. 1, 9. ut preciosum à vili distinguant. Ier. 15, 29. totum cœrum Ecclesie custodiunt, ne vano doctrina vento circumferantur Eph. 4, 24. Ut 3. probent spiritus omnes 1. Ioh. 4, 1. probantes bonum retineant 1. Thess. 5, 20. Omnibus enim dictū sunt cœci cœcorum duces Matth. 15, 14. Declinente, inquit Cypr. l. 1. Epist. 3. ad Corn. foriter, & evitent diligentissimi fratres nostri.

220

verba & colloquia eorum, quorum sermo ut  
cancer serpis.

3o. Quoadobjectionem, à Pseudoprophetis. Per quos non tantum eos intelligit, qui  
fimurorum predicatione fallunt, sed eos potissimum, qui scripturam pervertunt; in primis  
hypocrites Hier. & Chrys. Hom. 24. in Matt.  
Qui vita pravitate corrupti, & ficti sunt Christiani, ut habet Aug. in Apoc. hom. 16. Et  
Nazianz. Ep. ad Cled. ait allegant quidem  
Apostolicas, sed non Apostolico intellecta.

4. Encorum descriptio ab accidentibus, conjunctim quoad extrinsecus; Qui  
veniunt. Dum currunt, non missi Ierom. 31,  
34. docent, non vocati Rom. 10, 15. in fami-  
liae irrepunt non ablegati 2. Tim. 3, 6. circum-  
eunt maria ut Pharisai Matth. 13, 15. clam  
domos irrepunt ut Pseudo Apostoli, Gal. 2, 4.  
Sibiipsis honores sumunt Hebr. 5, 15. Ut disca-  
nus exspectare vocationem, si uelint esse veri  
Prophetæ Hebr. 5, 5.

5. Distinctum quoad extrinsecus est  
pietatis simulatio; In vestitu ovium. Quis  
bus exterior ipsorum simplicitas per Metaphor-  
ram denotatur. Ut enimovicula animal sim-  
plicissimum, innocentissimum, sic iuxta Elise-  
um hereticis ovium simulacrum simplicitatem,  
ovinam

ovim am mētiūneur patientiam. Hinc Ambr.  
 Hereticorum mina non sunt timenda, sed  
 blandia. Quia autem sunt vestimenta ovium  
 Autor. Imperf. Oper. nobis explanari; species  
 sc̄ simulata religione, elemosyna simulata ve-  
 stimentum ovile est, non opus ovile. oratio si-  
 mulata, & cetera species pietatis, quibus se  
 vestiunt; nihil enim magis curant quam pra-  
 dicant quadam, qua occultant. Custodie offi-  
 ciū est, confusio prædicatur, si religio asseve-  
 ratur: Tert lib adv. Valent. c. i. Effabilis  
 sermo & blandum eloquium, simulata aut co-  
 acta jejunia, vestis humilis, virtutum imitatio,  
 hereticorum sunt sagena, & laquei, quibus  
 pisces capiuntur & volucres Hier. in c. 9. Ec-  
 cles. Interum heresist docta mentiri, non lin-  
 gua solum, sed etiam vita; Si fidem interrogas  
 nihil Christianus; si conversationem, nihil  
 irreprehensibilis, & qua loquuntur factus præ-  
 stat: Bernhi. serm. 65. in tant. Verum nihil  
 prodest vita bonacum prava doctrina: & con-  
 tra sana doctrina cum vita corrupta: Chrys.  
 Hom. 65, in Ioh. Et quid sub vestitu lupo-  
 latitari? quid gregem Christi, qui Christianum  
 se mentitur, infamat? Quid Christi women  
 induere, & non per Christi viam pergere? &  
 quid aliud quam pravaricatio divini nomi-

A 3 nis?

nis? quam desertio itineris salutaris? quare  
Cyprianus lib. de zelo & livor. serm. 2.

6. Quoad intrinsecus: sed in trinsecus sunt lupi rapaces. Vnde etiam nominantur fures & lairones per Metaphorā Ioh. 10, 1. vulpes Ezech. 13, 4. mala bestia, Tit. 1, 12. viperæ, Matth. 3, 7. Et lupi quid significant, debemus advertere secundum monitum Ambro. lib. 7. in Luc. c. 10. Bestiae nempe sunt, quae insidiantur ovibus, circa pastorales versantur casas, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastoris explorant; ovium guttur invadunt, ut cito strangulent; sunt feri, rapaces, iidemq; natura corporis rigidiores, ut se non facile possint inflectere, impetus suo feruntur, ideoq; saepe luduntur. Tum præterea si quem priores homines viderint, vocem ei quadam naturæ uiferunt eripere: Si autem prius homo eos videbit exagitari memorantur. Nonne lupis istis heretici comparandi sunt? qui insidiantur ovi bus Christi, famelici fremunt circa casas nocturno magis tempore quam diurno; stabula tamen Christi intrare non audent. Explorant pastoris absentiam; & ideo pastores Ecclesiæ vel necare, vel in exilium agere contendunt; qui pastoribus presentibus oves incur sare non possunt.

possunt. Spoliare ergo gregem Christi & dispergere conantur, qui corporeæ quadam mentis intentione duri, ac rigidi, nequaquam solent à suo errore deflectere, qui si quem versuta disputationis sua circumscriptione prævenerunt faciunt obmutescere. Si autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam pie vocis timere non poteris. Cave igitur versutæ disputationis venena, animam petunt, guttæ invadunt, vitalibus vultus affigunt. Graves sunt morsus hæreticorum, qui ipsis graviores. Et rapaciores bestiis, nullum avaricia finem impietatisq; norunt. Quos tamen Deus permittit, ut 1 agnoscatur ministerij Apostolici necessitas; ubi enim non sunt pastores, ibi lupi venient; ut 2 indicetur etiam ministrorum, sedulitas. Quo, ut loquitur Aug. Epist. 105. ad Sext. Scripturas vigilantius perscrutemur; sic enim melius potest occurri lupo rum malitia. Et indies volunt è somno pastorum exciteur industria. Memores ergo sumus, monet Tertull. de præscrip. ad vers. hæret. c. 4. tam dominicarum pronunciationum, quam apostolicarum literarum, quæ nobis & futuras hæreses pronunciarunt, & fugiendas præfiniverunt, ut sicut illas non expavescamus, ita & posse id propter quod fugienda sunt, non miremur. In-

R. 4 struit

fruit idcirco Dominus nos, multos esse venatores sub pellibus quium rapaces lupas. Ideoq;<sub>3</sub> studiose vigilandum, caute cavendum, ne cum lupis sit ululandum.

7. Et eorumdem cognitio, quæ assertur simpliciter, ubi est ipsorum observatio v. 6. In quo per simplicem assertionem, ab effectis simili declaratis; à fructibus ipsum cognoscetis eos. Monstrat itaq;<sub>3</sub> Christus signa, media & notas, quibus terribilli latrones dignosci possint; At Chrys. hom. 19. Oper. Imper. habet: quomodo dicam illum non esse Christianum? quem videam Christum confitentem, altare habentem, sacrificium corporis & sanguinis Christi offerentem, scripuras sanctorum legentem, sacerdotii dignitatem habentem, scripturam iestem allegantem. Simia hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur, num propterea dicendus est homo & sic heresis omnia habet, & imitatur Ecclesia & mysteria, sed non sunt ecclesiae. Ideoq;<sub>3</sub> non ex foliis aut floribus, sed ex fructu arbor bona, malave dignoscenda. Opera ergo, nō verba discernunt inter filios Dei & dissidentia, Bern. Epist. 107. Si ergo, inquit Chrysost. hom. 19. videris hominem in Christianum, statim considera,

si

224

si confessio copuenit cuius scripturis verus est  
Christianus, si autem non est, quemadmodum  
Christus mandavit, falsus est. Non quidem  
qualem quis verbis se referat, habet Hilar. in  
Matth. c. 6. sed qualem se rebus efficiat spe-  
candum. Rectissime igitur, ait Aug. lib. 2. de  
serm. Dom. in monte. quaritur quos fi-  
ctus nos attendere voluerit? quibus cognoscere  
arborem possumus. Multi enim quadam in  
fructibus depudant, que ad vestitum ovium  
pertinent, & hoc modo a lupis decipiuntur; sic  
uti sunt vel jejunia, vel orationes, vel ele-  
mosyna, qua omnia fieri nisi ab hypocritis pos-  
sent, non superius diceret Matth. 6, 1. cavete  
justitiam vestram facere coram hominibus, ut  
videamini ab eis. Hi ergo non sunt fructus, do-  
quibus cognosci arborem monet: ista enim si cum  
bono animo in veritate sint, propria sunt ovi-  
bus vestes, si autem malo cum errore, non ali-  
ud quam lupos tegunt. Sed non ideo debent  
ovis odisse vestimentum suum, quia plerumque  
se illo occultant lupi. Qui sunt ergo fructus  
quibus inventis agnoscamus arborem malam?  
Dicit Apostolus: manifesta sunt opera carnis  
Gal. 5, 18. Et quis sunt fructus per quos cogno-  
scimus arborem bonam? idem Apostolus con-  
sequenter dicit: ibid. v. 22.

s. Et

8. Et illustrat per interrogationem Rheticam, tum desumptam à spinis: Num quid colligunt de spinis uvam? Impossibile enim hoc est per naturam. Et rectè comparantur illi pseudoprophetæ spinis, quia illi veniunt, hæ sponte nascuntur, florent, fructus ferunt, sed non uvas; in spinis habitante serpentes Eccles. 10, 10. Hæretici sunt progenies viperarum Luc. 3, 7. Spinae suffocant Luc. 8, 14. hæretici utidem, nempe mala facientes ubique sunt spinae.

9. Tum de tribulis: aut de tribulis sicum? Nam sicut isti terra adhærent, sic & hæretici terrestria curant Phil. 3, 9. Et quamvis interdum uva pendeat in sepe inseratur q̄ spinae, tamen non est illa uva spinarum, neq; fructus tribulorum, sed aliquando increscens sacramentum, implicat se in sepe & pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu igitur, moneret Aug. l. de Pastor. si esurieris & aliud non habes unde cibum sumas, caute manum mitte, ne lacereris à spinis i.e. ne imiteris facta malorum, & lege uiam in spinis pendentem, sed de vite nascentem. Spinis servatur ignis tormentum, ad te perveniat boni alimentum.

10. Et

10. Et cum arbore comparatio, cu-  
jus naturæ declaratio. v. 17. In quo ab este-  
tu, partim de bona; Sic omnis arbor bona  
fructus bonos facit: *Homo est arbor, inquit Au-*  
*gust. contra lit. Pet. c. 44.* fructus ejus opus &  
vita, quam semper habet bonam bonus, dum  
de bono cordis thesauro profert illa, quæ bona  
sunt. Unde ex pomorum dulcedine, habet Hier.  
lib. 2. advers. Ruff. generosi seminis arbor a-  
gnoscitur. Et dicuntur fructus opera, fructus  
spiritus, fructus pœnitentia, Matth. 3. 8 fructus  
justitiae Philip. 1, 11, fructus sapientia, quæ ex  
superioris est Jac. 3, 17. fructus fidei per chari-  
tatem operosa, Gal. 5, 6. Quia cum fide sem-  
per studium virtutum est conjunctum, siqui-  
dem quicquid ex fide non est, peccatum est  
Rom. 4. v. ult. & illa fides, quæ non operatur  
non est salvifica, non qua operatur, sed qua post  
apprehensionem meriti Christi fit, veram &  
vivam esse se restatur ex Gal. 5, 6.

11. Et de mala; putris autem arbor  
fructus malos facit. Unde August. de gra-  
tia Christi cont. Pelag. lib. 1. c. 18. Si duæ  
arbores bona & mala, duo sunt homines bonus  
& malus, quid est homo bonus, nisi voluntatis  
bona? h.e. arbor radicis bona? Et quid est homo  
malus, nisi voluntatis mala? h.e. arbor radicis  
mala?

male? Fructus autem harum radicum atq;<sub>z</sub>  
arborum facta, dicta, cogitata sunt, quae bona  
de bona voluntate procedunt. Et mala de mala.  
Facit autem homo arborem bonam, quando  
Dei accipit gratiam. Non enim se ex mali  
bonum per seipsum facit, sed ex illo, & per illum,  
& in illo, qui semper est bonus. Nec tancum  
arbor sit bona, sed etiam ut fructus ferat bonos.  
eadem gratia, ut adjuvetur necesse est, sine qua  
homo boni quippiam facere non potest. Ma-  
lam vero arboreū homo facit, quando se ipsum  
facit malum, quando à bono inconsuetabili  
deficit: ab eo quippe defectus est & origo volun-  
talis male, qui defectus non aliam naturam  
initiat, sed eam, quae bona condita, vivat. Il-  
lud tamen non tollit poenitentiam, habet Isid.  
Pelut.lib. 4. Epist 81. sed redarguit commo-  
zionem in consuetudine vitorum. Nam dum  
mala est non potest fructus ferre bonos, ubi ve-  
ro mutata atq;<sub>z</sub> conversa fuerit ad virtutem,  
non feret.

12. Et fructificatio ex antithesi ab  
accidente negata potentia, v 18. In quo de  
bona arbore; Non potest bona arbor fru-  
ctus malos ferre. Quia est contra naturam  
eius. Neq;<sub>z</sub> enim mens vel fides bona mala edit  
operas Tertull. l. i. advers. Marc. c. 2.

13. Et

13. Et de mala: Neque arbor pūtis bonos fructus facere. Ac si ita concluderet: sicut impossibile est arborem bonam posse proferre fructus malos, & arborem malam fructus bonos; ita impossibile est doctrinam sinceram & veram proferre fructus malos, gloriam Dei minuentes; & contra, doctrinam malam seu impianam proferre bonos fructus. Ex hominie tamē bona natura non ortā voluntas mala, sed Diaboli seductione, uti à terra & bona & mala arbor, ait Aug. Enchir. ad Laurent. c. 34.

14. Et sequela, est arboris malae decineratio v. 19. In quo antecedens; Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum. Quaecunq; enī am fuerit sive sativa, sive nativa, nulla excipitur, licet etiam alias generosa & preciosa. Ut intelligantur omnes homines carentes bonis operibus cuiuscunq; ordinis & statutis sive magni, sive viles, sive docti, sive indocti sint.

15. Consequens tum; excinditur. Tāquam in uicelis, tanquā oleaster sylvestris Rom. 10. 14 tanquā aridū lignum Luc. 23, 31 excinditur autē per mortem. Hoc autem Deus facit cum peccatorib; pœnas immittit; Justitia enim fructus vindicta peccatis; ait Aug. Cont. Adimant. c. 26.

16. Tum

16. Tum; Et in ignem consicitur. Est enim arbor infernalibus flammis debita Matt. 3,9. arbor mortua Iud. v.12. Ut ita pœna demoretur sub allegorica similitudine; que est aeterna condemnatio: nam finis eorum est interior Phil. 3,19. velox perditio, 2. Pet. 2,3. mittetur in stagnum ignis ardoris Apoc. 19, 20. Ne ergo similiter pereamus, simus arbor fructuosa, ut monet David Ps. 1, 3. simus sicut olea & virtutis beneficij Iud. 9,9. simus ut buxus humiles. simus ut palma patientes.

17. Concluditur ab effectu demonstrationis v.20. In quo Indicium: Igitur ex fructibus ipsorum. Ut applicet quæ proposuit de probandis falsis doctoribus, denuò repetit fructus esse respiciendos ex ipsa falsa doctrina nascentes: nam & vera docentes male vivere & falsa docentes bene vivere possunt; nec tamen mala vita verae doctrinae, nec bona falsa fructus necessario haberi decet.

18. Et effectum; cognoscetis eos. Ut certi esse possumus, non esse illos ipsos veros Christianos, qui malos ferunt fructus, iterum inculcat, qui non sumus καρδιογενεῖς ut Deus. Ideoq; respicienda sunt opera, & probandi sunt ex illis spiritus.

19. Partim de falsis Christianis visitandis

tandis, ut est facti in genere denotatio  
v.2. In quo negativè quoad subiectum per  
epizeuxin Rhetoricam; Non quisquis di-  
cens mihi Domine! Domine! Ut qui tan-  
tum jactitant plenis quis buccis nomen DEI,  
sicut & Demones filium Dei ipsum nomina-  
bant Matth.8.29. Et ut Iudei clamabant  
templum Domini Jer 7,4. Ne autem putemus  
ad illos fructus pertinere si quis dicat Domi-  
no nostro: Domine, Domine, inquit Aug. de  
serm. Dom. in monte l. 2. Unde Amb. inquit  
serm. 12. in Psalm. 118. non quicunq;  
dicit mihi tuus sum, meus est: nam quomodo meus  
est? si verbo dicit tuus sum, & operibus neget  
& factis se Diabolo consecret. Nam nulla res  
sec perdit Christianos viros, quam hec: que-  
cunq; viderint Christianos se dicentes, quasi  
Christianos eos estimare, Chrys. hom. 19.  
Oper. Imperf.

20. Quoad prædicatum; Introbit  
in regnum cœlorum: sola enim verborum  
officia, habet Hilar. in Matth. can. 6. non obti-  
nent regnum cœlorum, dum in facie gloria-  
tur, corde non, 2. Cor. 5,12. ore Deo appro-  
pinquant, El. 29,13. Tales inquit Aug. lib.  
2. de serm. [Dom. in monte, ab inspectore  
Deo mercedem uon capiunt, nisi fallacie sup-  
plicium

222

pticum. Et quamvis Paulus dicat: non potest  
quis nos Dominum dicere sine spiritu, i. Cor.  
12.4. Intelligendum tamen de fiduciali usur-  
patione; non de vana & simulata; de quibus  
rectissime dicitur illud Augustini nomen meum  
habuistis, sed opera mea non fecistis.

21. Tum affirmative ab effectis per  
assertionem: sed qui fecerit voluntatem  
Patri mei. Non verbo dicti qui semel fecit,  
sed qui usq; ad mortem fecit, habet Theophyl.  
in Matth. Et non dicit voluntatem meam, sed  
Patri mei, ad quam etiam pertinet credere in  
Filiu, Joh. 6, 40. diligere Ioh. 3, 23. se san-  
ctificare, i. Thes. 4, 3. Vere enim, inquit Clem.  
Alex. lib. i. P̄cedag. c. i. nō in meditatione ser-  
monis & structura verborum, sed in rebus opera  
declarandis tanquā doctrina & vitā professio  
nostra posita est. Verbis igitur oīas insisteret  
quæcumq; & docuit, & fecit discere & facere  
debemus. Ceterū, inquit Cypr. de simpli  
Præl. Tract. 3. credere se in Christum quomo-  
do dicit? qui nō facit quod Christus facere  
præcipit? aut unde ad premium fidei perve-  
niet, qui fidem non vult servare mandati? Et  
quomodo est Christianus, querit Aug. serm.  
13. de tempore, qui contra Christi præcepta  
vivere contendit. Non est meū, habet Amb.  
serm.

Ierim.12.in Psalm.118.quem libido succedit,  
quia mea est castitas; non est meus, quem cura  
spoliandi minores exagitat, quia mea est lar-  
gicio; non est meus, quem aura mobilitatis in-  
quietat, quia mea est tranquillitas; Non est  
meus vini crapula temulentus, illuvie ambiti-  
onis impurus, gloria secularis cupidus, ebrius  
in periculum, qui non potest sobriae moderatio-  
nis servare vestigium etc. Non est ergo Christi  
nisi quis est alienus à crimen; non est Christi,  
nisi quis potest se semper Christi servum de-  
monstrare.

22. Et per descriptionem; Qui in  
cœlis est. Cujus una eademq; est voluntas.  
Ut innuat se verum esse Deum, cum ille sit ejus  
pater.

23. Et in specie, per dialogisticam  
prosopopœiam, ubi eorum gloriatio v.22.  
In quo plenius hypocritarum jactantia exag-  
geratur, ab effectu, respectu verborum;  
Quoad subjectum; multi dicent. Ideoq; non  
omnis sed illi ipsi, de quibus loquitur Christus.  
Pseudoprophetæ.

24. Quoad objectum, per epizeuxin:  
mihi in illo die, Domine, Domine. Quasi  
dicat aliud nihil, quam inflatis buccis crepant

S nomen

234

nomen Dei, neq; enim sufficit, dum sine invoca-  
tione fiduciali hoc ipsum præstant.

25. Respectu factorum distinctim.  
de doctrina per interrogationem; Nonne  
per nomen tuum prophetavimus? Hoc est  
nonne freti verbo tuo mandata tua sunt à no-  
bis præstata, uti habet Matth. 22, 3. Ubi per  
per prophetare tūm futurorum prædictio, tūm  
scripturae sacrae interpretatio intelligitur; dum  
excellentibus abutuntur donis, ut Balaam,  
Nū. 22, 5. qui amavit mercedē iniquitatis, 2.  
Pet. 2, 15. qui violante verbum propter pugil-  
lum hordei Ezech. 13, 19. Quiserviunt ventri  
Rom. 16, 18. Illi prophetant quidem etiam  
in nomine Christi, sed non observant, quæ se-  
quuntur: Unde Bern. ferm. 33. in Cant. Sur-  
gunt homines vani, cupidi gloriae, volentes sibi  
facere nomen, & exentes de Ecclesia eandem  
matrem suam affligunt in diversis & perversis  
dogmatibus: videntur in Ecclesia esse, & agunt  
contra Ecclesiam, habet Chrys. Hom. 25. in  
c. 24. Matth.

26. De miraculis; Et per nomen tu-  
um Dæmonia ejecimus? Siquidem & falsi  
doctores signa edunt, & prædigia multa Matth.  
24, 21. 2. Thess. 2, 9. Itaq; habet Just. Mar-  
tyr. in respon. quæst. 5. ad Orth. non con-  
fir-

firmat hereticos in errore, quod quedam miracula fiunt in eis: Si enim miraculorum effectio pietatis esset signum & demonstratio, nusquam Dominus eos reprobos, & sua familiaritate indignos pronunciaasset. Miracula certè oracula non probant, nam & Diabolus prophetam egit. 1. Sam. 28, 19. Est enim non illorum proprium, quod loquuntur, aut faciunt dum omnia virtus Dei invocata perficit, ait Hilar. in Matth. can. 6.

2. Coniunctim; Et per nomen tuum multas virtutes praestimus. Δυνάμεις h. e. excellentiores effectus, qua potestates appellantur, per Metonymiam effecti, quia ex iis quanta sit Dei potestas intelligitur. Quām ergo mundo simplici opus est oculo Aug. serm. 7. Dom. in monte; ut inveniatur via sapientiae, cui tanta malorum & perversorum hominum errores obstrepunt, quos omnes evadere, h. e. venire ad certissimam pacem & immobilem stabilitatem est sapientiae. Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi & contendendi quisq; non videat quod à paucis videri non potest, ut parvus sit strepitus contradicentium, nisi etiam sibi ipsi obstrepant.

28. Et Christi refutatio & repudatio, v. 23. In quo antecedens, ubi tempus  
Ac

236

Actuue. Nempe in exeremo illo censorio die;  
ubi contrarium expectationis sua finem vide-  
runt. & intelligent se puniendos, habet Chrys.  
hom.35.

29. Et modus per declarationem;  
**Confitebor illis.** Signanter illis dicitur: confi-  
tebor, quia multo tempore sedixisse ante dissi-  
mulaverat, habet Hieron: non quasi non si si-  
gnificatum, cum habeant Mosen & Prophetas,  
sed quia non publicatum, quia nihil boni ex i-  
psis esse recognovit, ait Iustus Oigil. in canca-  
n. 146.

30. Et ratio à negatione notitiae;  
**Nunquam novi vos.** Nempe notitia ap-  
probacionis & dilectionis, ut usurpatur Pt. 1, 6.  
Matth. 25, 12. Quasi dixisset, inquit Ambros.  
in Ps. 36. nescio vos, quia vos me nescire vac-  
uistis, opera vestra me nesciunt. Et si dicitis  
me scire, redarguunt vos peccata vestra; Sicut  
enim Diabolus Christus non est, quamvis mal-  
bos in nomine eius fallat, ita nec Christianus  
videri potest, qui non permanet in Evangelio  
eius, & fidei veritate. Nec enim regnum ab  
cœleste consequuntur, habet Cyptia de similitate  
Prael. c. 3. nisi recti & justi itineris observatio-  
ne gradiantur.

31. Consequens ab effectu detripen-  
toso

237

psso, quoad p̄adictum; discedite à me.  
Horrenda sententia, quemadmodum illa ipsa  
Matr. 25. 21. maledictis acclamatur. Irregressi-  
bilis erit, habet Cypr. de Ascens. Christi & immo-  
mutabile judicium.

32. Et quoad subjectum; qui ope-  
ratini iniquitatem; Non dicit qui operati  
estis, habet Hier. ne videretur tollere pœniten-  
tiam, sed qui operamini, h. e. qui usq; in præsen-  
tem horam cum iudicii tempore advene rit, liceat  
jam non habeatis facultatem peccandi, tamen  
adhuc habetis affectum. Peccare enim non de-  
sinit, ait Salvian. lib. 1. contra avaritiam, quæ  
in extremis situm recedere à criminibus sola  
facit tantum impossibilitas, non voluntas. Qui  
enim à malis actibus tantum morie recedit,  
non relinquit scelerà, sed relinquitur à sceleris-  
bus. Sic ergo sunt quidem operarij, sed nequitie  
2. Cor. 11. 2. malitia Phil. 3. 2. Unde Aug.  
de serm. Dom. recedite, inquit: à me operari  
datosi, non enim meum habuistis, opera vero mea  
non fecistis. Ideo uos omnes, addit: Idem lib.  
de Salut. docum c. 16. qui reliqui super ter-  
ram, peccata nostra agnoscamus, ne cum im-  
piis percamus, sed tito iudicent digna satisfa-  
ctione placemus.

— accipitribus uisib;is de eius p;receptis

glos

S. 3

NOTÆ

233

## NOTÆ.

1. **C**avete vobis à Pseudoprophetis)  
Considera honestatem Dei, qui per-  
mittit malos; ut discas ex quovis mali  
colligere bonum.

2. **N**on potest arbor mala bonos fru-  
ctus ferre) Considera hominem,  
comparari arbori, quia illa in terra planta-  
ta fructum cum ramis producit sursum;  
ut discas si velis bonus esse, etiam respice-  
re cælum, sursum pullulare, & producere  
fructus cælestes.

3. **Q**ui facit voluntatem Patris) Co-  
sidera nemine ad vitam æternam  
venturum, nisi dum tempus habet vitam  
opere probet, quo indicet veram fidem; ut  
discas non vanam jactare fidem, sed ean-  
dem probare bonis operibus.

## CASUS.

An auditores debeant vitam  
respicere doctorum?

**N**on videtur, i. quia hypocrita sunt  
multi, qui veniunt in vestiuorium  
Matth. 7, 15.

4. Sa-

239

2. Salomonis vita non abrogavit ipsi dignitatem 1. Sam. 17, 31.

3. Judas docuit. Aug. lib. 2. cont.

Cresc. c. 18.

4. Fura Canonica voluntine quis querat. Papa quid facis? c. si papa dist. 40.  
Nec 5. subdit*non* possunt iniquum magistrum submovere, uti nec liberi parentes licet legis contemtor sit pater. Novell. 12.

Contra I. Hic Christus monet, ut caudeam, quando fructus mali. Matth. 15.

2. Jubemur omnes probare spiritus I. Thess. 5, 20. 1. Joh. 4, 15.

3. Non debemus eos pro veris doctoribus habere, qui operantur iniquitatem, Matth. 7, 21. Ergo opera sunt respicienda, quae ex vita potissimum colliguntur.

4. Ecclesiasticus delinquens ob uitæ professionem majori pena puniend. quam plebeius vel presbyter. c. de Episc. & Cler. l. si limites C. de questione.

5. Periniquum est ab alio exigere, quod ipse non præstat. l. 31. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. & id postulare non licet, cuius contrarium quis non esset petiturus,  
l. si

246

1. si in lege C. de usur. l. penult. C. de  
solut.

2. Possunt liberi parentes exhaeredare,  
Novell. 115. c. 4. Ergo & spiritualem. Et  
si propter pietatem possunt vocari, propter  
impietatem repudiari, Tarnov. in disp.  
de abdicat. Minist. Th 59.

3. Ad contraria 1. F.C. sunt omnino: sed  
propterea cavendi, & dignoscendi ex fructib.

4. Alius ratio magistratus, qui tem-  
poralia respicit potissimum, alia pastorat quae  
ubi salus potissimum aeterna attenditur,  
nec tamen immunes sunt a paenit. si plane  
impius.

5. Docuit Judas, sed idem reprobatus  
ubi improbus factus.

6. Improbant ipsa Iura in eodem loco  
hanc arrogantiam, uti constat.

7. Imo possunt subditi, si tyrannus titu-  
lorum quam aggressorem excl. 2. ff de 1. G. r.  
l. 4. ad L. Aquilā. Si verè exercitio non qui-  
dem possunt removere, quia semel placuit,  
modo non fundamentū Reip. tollat, Thols.  
l. 4. c. ult. Reinking. l. 1. cl. c. 5. n. 40:  
interim monere.

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

**U**nus nullus boni, quod si quis inutilis o-

*Et hoc dicitur mihi.*

*Corde ludi veniunt ut oves in ueste rapaces,*

*A quibus nec aveas Christus id usq; monet.*

*Fructus observes! noscere ex fructibus. Vvas*

*Non spina, fucus non tribuliq; ferunt.*

*Fructus namq; bonos bona profert omnis Gar-*  
*bor,*

*Degeneres contra sed pueris arbor habet.*

*Non proferre malos fructu bona sustinet arbor.*

*Nec pueris est fructus putris habere bonos.*

*Ait arbor quaecunq; boni non prodiga fructus.*

*Eradicatur, flammaq; ligna vorat.*

*Ergo sit indicium fructus bona numne sit arbor?*

*Num mala? defructu noscere rite datur.*

*Vellus ovis, vulnusq; rose sed & indice fructu;*

*Vngues & spinas trux lupus intus habet.*

*Non quisquis dicit cœlorum regna subintrat,*

*Qui factis animat dicta, sed ille potest.*

*Tunc dicent multi per nomen, Christe, pro-*

*phero*

*Nonne tuum? pello dæmonas, omne patro.*

*At*

Ac confessurus: mihi notus nullus: abite  
A me quifuc itis criminis omne scelus!  
Plurib⁹ UNZERUS monstrat Sed pergit! eritq;  
Uncia tota, vel as integer ipse boni.  
optat

GUEINZIUS.



Præclara minanti

RESP. S.

C Eu bona fert gratos felici stemmate frus-  
etus

Arbor & agricolam divite sorte beat;  
Sic mala fert pravos vitioso semine fructus,  
Nec prodest, nisi quod ligna cremanda  
paret. (fraudes,

Hinc fidei fructus ietegunt, ò hypocrita!

Atq; lupi pellem, Pseudoprophetā tuam.

Hosce cavere jubet Salvator, & edere fructū

Dignos, æternum ni periisse velis.

Divitis ingenii hæc repetens UNTZERUS  
opimos,

Si pergit, fructus spondet opesq; sui,

Ita

Benivola manu Untzerum Phi-  
λομαδῆ ad patrias virtutes  
horcatur

M. Frid. Cahlenus

P. Cœsar.

02 A 572  
(1/2)

**ULB Halle**  
003 808 483

3



V017

EV

CH R 15  
H 33 C



# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

VITIARUM  
GELICARUM  
*sitio XXXIX.*  
PRÆSIDE  
ANNO GUEINZIO  
Inasii Hallensis  
Rector  
espondente  
ANDREA UNZERO  
all. Saxone  
*VIII. post Trinitatis.*  
R. cl. Ic. III.  
LIS SAXONUM  
*dum Melchioris Oel-*  
*schlegely*